



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère <1543-1623>

Mogvntiæ, 1617

Cap. 7. Ratio iudicandi de materia, & forma ad matrimonium
sufficientibus,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78477)

43 Quatenus sacramentum matrimonij, censetur consistere ex rebus & verbis.

44 Quatenus coniuges dici possunt matrimonij materia.

MATERIA & forma sacramenti matrimonij diuersae sunt sententiae quas referunt Greg. à Valent. tom. 4. disp. 10. quaest. 1. punct. 6. & Thom. Sanchez De matrim. lib. 2. disput. 5. citatis pro vnaquaque authoribus.

Prima est dicentium verba Sacerdotis esse formam, & verba contrahentium esse materiam huius sacramenti. Quae ex eo reicitur, quod Sacerdos non sit huius sacramenti minister, vt postea docebitur, neque alterius quam ministri verba, dici possint sacramenti forma, vt de se constat.

Secunda est; Consensus interiores contrahentium esse materiam, & verba quibus exprimuntur esse formam huius sacramenti. Quae ex eo reicitur, quod materia totalem oporteat sensibilem esse: vnde in sacramento penitentiae interior contritio non est materia nisi expressa per exteriorem confessionem (per quam est sensibilis) tanquam causa per suum effectum. Quia eadem ratione reicitur tertia sententia, dicentium consensum internum esse formam & verba externa esse materiam.

Quarta est; Contrahentes esse materiam & verba quibus contrahunt esse formam. Quae reicitur, quia materia sacramenti concurrat ad productionem gratiae, quod non contingit contrahentibus, nisi ratione aliquorum suorum actuum; qui proinde actus, debent potius dici materia, quam ipsi met contrahentes. Accedit, quod sicut in aliis contractibus, res vendita vel locata vel commutata, & sic de ceteris: est materia circa quam conficitur contractus; non autem materia ex qua conficitur; ita in contractu matrimonij, contrahentes sunt tantummodo materia circa quam, non autem ex qua ipsum conficitur.

Quinta est; verba quae à priori contrahente proferuntur materiam esse, quae vero à posteriore esse formam. Reicitur autem; quia hoc sacramentum non habet aliquam materiam certam, certamque formam: quandoquidem esset in contrahentium voluntate, ex materia facere formam; & contra ex forma, materiam; quod non est consentaneum dicere de re, quae secundum omnia sua essentialia pendet ex Christi institutione.

Reliqua igitur est sexta (quam vt ceteris probabiliorem citatis pro ea Bellarmino & Suarezio aliquotque aliis sequitur Sanchez) consensus vtriusque coniugis expressos verbis, aut aliis signis, esse sibi inuicem materiam & formam. Quod qua ratione fiat. Suarez tomo tertio in 3. partem D. Thomae disput. 2. sect. prima explicat; inquiring externam caeremoniam huius sacramenti esse contractum qui inter coniuges perficitur, & in quo, sicut in omni alio contractu, interueniunt traditio & acceptatio illius rei, de qua conficitur contractus: nempe mutua traditio & acceptatio corporum: quae sic concurrunt in ipso contractu matrimonij, vt traditio supponatur acceptationi, isque in illa inchoetur, consumitur vero per ipsam acceptationem. Vnde fit vt consensus vtriusque coniugis siue verbis siue nutibus exprimantur rationem habeant materiae, quatenus continent mutua traditionem corporum: rationem vero formae, quatenus efficiunt mutua acceptationem eorundem corporum; quia matrimonij contractus ex illis pendet ea ratione, vt traditio inefficax sit ad illius constitutionem, tanquam imperfecta donec accedente acceptatione perficiatur: quod quidem in illa rationem materiae: & in hac, rationem formae ostendit.

ADVERTE autem, hinc consequens esse, matrimonij sacramentum non consistere rebus tanquam materia nisi proportionem quadam: nempe quia mutua traditio corporum, pro ut est quid informe, nec sortitur effectum suum translationis dominij corporum, donec accedat mutua acceptatio illam complens, ac perficiens, dicatur res: quantumcumque constet verbis. Ipsa vero acceptatio, dicatur verba; proprie quidem, quando interior consensus verbis exprimitur: secundum proportionem vero, quando aliis signis.

Aduerte secundo, quod loco cit. habet Suarez, peculiare esse huic sacramento: vt neque in materia, neque in forma requirat verba in omni rigore, & proprietate sumpta: quia

Christus Dominus nihil aliud, Anquam signum sensibile voluit ad hoc sacramentum exigere, quam quod necessarium esset ad perficiendum humanum contractum. Ad id autem sufficiunt quaelibet signa quibus contrahentium consensus exprimitur.

Aduerte tertio, quod ex Bellarmino habet Sanchez in fine citatae disputationis: sacramentum hoc spectari posse, & in fieri, sicut de illo antedicta verificari: & in facto esse, sicut coniuges dici posse materiam illius ex qua: quoniam coniunctio in illis orta ex celebratione matrimonij, in illisque manens manente vtriusque vita, signum est externum coniunctionis Christi & Ecclesiae: sicut aliquo modo hoc idem sacramentum conuenit cum sacramento Eucharistiae; vt sicut in eo panis & vinum sunt materia circa quam ipsum perficitur per consecrationem: hacque peracta, sunt eius materia ex qua: non quidem secundum substantiam, quae definit: sed secundum accidentia, quae salua manent. Ita etiam in matrimonio post peractum legitime contractum, coniuges sunt materia ex qua, qui dum ille perageretur, erant materia circa quam.

CAPVT VII.

Ratio iudicandi de materia & forma ad matrimonium sufficientibus.

SVMMARIVM.

- 45 Quid sit iudicandum, cum verba sunt dubia: quodque verba sine interiore consensu, neque hic sine illis, ad matrimonium sufficiant.
- 46 In dubio de consensu iudicandum est in fauorem matrimonij.
- 47 Cum verba, tam quoad sonam, quam quoad significationem fuerint de presenti, iudicandum est contractum esse matrimonium: cum vero de futuro, solummodo sponsalia.
- 48 Secus accidit quando verbis de presenti adiicitur particula trahens ea ad futurum: & verbis de futuro, particula trahens ad praesens.
- 49 Quid iudicandum sit, cum verba fuerint dubia.
- 50 Quid sit iudicandum cum verba sunt pure negatiua.
- 51 Et quid, cum verba continent particulas Nisi, Quam, Praeterquam.

TERCIUM traditio & acceptatio quas antea diximus constituit materiam & formam huius sacramenti perficiantur consensu, externis signis, maxime verbis, expresso: an ad matrimonium sufficiens interueniat, plerumque verba quibus exprimitur, occasionem dubitandi praebent: ideo subiicienda sunt aliquot documenta, per quae tolli poterit talis aliqua occurrens dubitatio.

PRIMUM est: In foro conscientiae, quando verba sunt dubia, esse in intentione contrahentium, si de illa consistet standum iuxta cap. Intelligentia De verborum signific. confirmatur: quia verba in contractibus vim obligandi habent, quatenus explicant consensum internum: talis enim obligatio, est cuiusdam particularis legis, quam homo sua sponte sibi imponit: obligatio autem cuiusvis pendet ex mente & consensu legislatoris.

SECUNDUM est. Si desit consensus internus obligandi se vinculo matrimonij, qualicumque sint verba nullam ori obligationem matrimonij: sicut nec de contra, si adsit quidem praedictus consensus, sed is nullo signo verborum aut alio externo apto manifestetur, per quod vterque contrahentium alter alterius animum intelligat explicari. Patet hoc documentum ex traditis in praeced. cap. 3. Ex eo autem inferuntur duo, quae ab aliis notata refert Sanchez lib. 1. disput. 18. num. 2. Prius est; licet consensus contrahentium sint de presenti, si tamen suum alter alteri ignorat, aperiat per verba de futuro, non esse matrimonium. Posterius est: si contrahentes satis intelligant se velle matrimonium de presenti inire, quibuscumque verbis illam suam voluntatem consensumve internum explicent, matrimonium contrahi. In priore enim

casu de est exterior consensus interiore sufficenter exprimens, non item in posteriore.

46. TERTIVM documentum est: In dubio de consensu, & consequenter de matrimonio, iudicandum esse in fauorem valoris matrimonij in vtroque foro. Hoc iam attigimus in citato cap. 3. quæst. 2. Ex eoq; inferitur quod Sanchez habet in seq. num. 6. ex Couar. & quibusdam aliis, dubitantem de consensu, & quo affectu ad sponsam accesserit compellendū esse matrimonium in vtroq; foro, tanquam eum, qui præsumendus sit consensum adhibuisse.

Inferitur secundo, quod idem num. 7. addit pluribus aliis citatis: vnus doctoris singulare opinionem de alicuius matrimonij validitate, præferti sententiæ plurium illud impugnantium, si talis opinio innitatur probabiliratione, nec contra illam detur textus apertus. Ad quod facit illud in cap. Licet De testib. & attestat. Tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dismittere copulatos, quam coniunctos legitime, contra statuta Domini separare.

Inferitur tertio, quod idem adhuc in seq. num. 8. habet ex aliis. Quando constare nequit de consensu contrahentium, & verba dubia sunt, in foro interno perinde ac in externo iudicandum esse, acceptis & retentis verbis in consensu quem communiter solent recte intelligitib. generare, iuxta cap. Ex literis primo, De sponsalibus: interea obseruatis documentis quæ deinceps sequuntur.

47. QVARTVM documentum est, quod idem Sanchez ibid. a num. 10. persequitur variis authoribus citatis: Quædo verba tam quoad sonum, quam quoad significationem sunt de præsentibus, certum esse, quod constituat verum matrimonium, ex cap. penult. De sponsalib. Qualia verba sunt hæc: Accipio te in meam, & æquivalentia: vt Habeo te in vxorem: Ex nunc reputo te in vxorem. Item si vir dicenti. Accipio te in meam, fœmina respondeat; Placet, vel Consentio; aut si à viro querat alius visne hanc in vxorem? ille respondeat Volo: & fœmina similiter interrogata, similiter respondeat. Item si vir dicat volo te in vxorem; & fœmina dicat, volo te in virum.

Cum vero verba tam quoad sonum, quam quoad significationem fuerint de futuro: nō quidem matrimonium; sponsalia tamen constituuntur, siue addatur verbum promitto: dicendo Promitto quod te in vxorem ducam; siue simpliciter proferantur: vt Ducam te vel Accipiam te in vxorem. Talia enim verba ex communi Ecclesiæ vsu tanquam promissoria accipiuntur: non autem, vt præsentia tantum futuri effectus, aut declaratiua propositi voluntatis. Ad quod confirmandum Sanchez num. 12. adfert, quod Doctores (quorum multos commemorat) tradentes modos quibus sponsalia contrahuntur, ponant hos, Ducam te, Accipiam te in vxorem. Aduerte vero pro praxi quod post Couar. & quosdam alios docet idem in seq. num. 13. hæc verba: Promitto quod ego te desponsabo; non plus operari, quam hæc; Ego te desponsabo: quæ ne sponsalia quidem constituunt sed tantum indicant animum ea faciendi; nisi forte consuetudo haberet, vt per talia verba eadem contraherentur.

48. Aduerte præterea, verba de præsentibus propter adiectam particulam ad futurum tantum significandum trahentem, non constituere matrimonium sed tantummodo sponsalia. Qua ratione à Victoria De sacram. nu. 251. ait sponsalia tantum constitui per hæc verba: Accipio te in meam in crastinū & deinceps. Ratio vero est: quia talia exprimunt consensum de futuro; nec per ea, de præsentibus accipitur fœmina in vxorem. Ex aduerso vero adiecta particula significante de præsentibus, potest constitui matrimonium, iuxta illud quod definitur in cap. Ex parte, De sponsalibus, matrimonium esse, si quis fœminæ iurauerit se ab eo tempore illam habiturum in vxorem. Quod idem contingit, quoties verbo futuri temporis importanti executionem, adiungitur similis particula spectans ad tempus præsens: vt si quis dicat; Ex nunc vel Ex hoc tempore, vel Semper, vel Deinceps seu diebus omnibus vitæ meæ tenebo te, habebove in vxorem: vel, Prouidebo tibi vt vxori, vel, tractabo te vt vxorem; vel eris mihi vxor. Nam tales verborum formulæ significant consensum in matrimonium de præsentibus. Ea enim quæ ex nunc, seu semper habenda est in vxorem, præsentibus certe tempore est vxor.

Quinimo nonnulli sunt: qui prædictas verborum formulas, etiam si nulla addatur eis particula faciens significare de præsentibus, velint constituere matrimonium: vt si dicatur: habebove te in vxorem: prouidebo tibi sicut vxori, & sic de similibus. Verum probabilius est constituere tantum sponsalia: quia talia sensum omnino verum possunt habere, etiam si ille à quo proferuntur intentionem habeat tantum de futuro. Qua de re Sanchez plenius num. 16. & aliquot sequentibus.

49. QVINTVM documentum est de quo idem Sanchez in sequenti num. 22. Dubium esse, an per verba dubia, quæ sunt voluntati contrahere, volo te ducere, volo te habere in vxorem, matrimonium constituatur. Probabile autem videri, tunc constitui solummodo sponsalia. Ratio est, quod talia verba verificentur, quantumvis illa proferens nolit fœminam cui loquitur esse tunc suam vxorem, sed tempore futuro. Quod quidem procedit etiam si talia verba prolata essent interrogante altero visne mecum contrahere, cum velle contrahere non sit contrahere. Secus vero est si præcessisset tractatus de matrimonio contrahendo de præsentibus, quia adesse sufficiens coniectura animi matrimonium tunc contrahendi per ea verba mutuo dicta. Similiter si adderetur particula ex nunc vel alia similis, vt ex hoc tempore, semper, deinceps, omnibus diebus vitæ meæ volo te habere vxorem. Aut si verbum volo, vsurparetur ad explicandum velle eligentis, seu velle efficacis, & non tantum velle appetentis, seu velle inefficax, quia appetere matrimonium non est illud inire, sicut illud eligere, est illud inire.

50. SEXTVM documentum est, de quo idem author in sequenti disput. 19. per verba puram negationem continentia, nec matrimonium nec sponsalia contrahi: qualia sunt Nullam aliam vel nunquam aliam à te, ducam. Per ea vero quæ negationi affirmationem admixtam continent, vel matrimonium vel sponsalia contrahi. Qualia sunt, nullam aliam, sed te ducam: vel Nullam aliam sed te ducam. Ratio prioris partis est, quod consensus non præstetur per meram negationem; nec possit sine contrahentium consensu, constare contractus. Sed aduertente, quod etiam dicens: Nullam aliam à te ducam, non teneatur illam ducere, si velit omnino abstinere à matrimonio tamen si velit matrimonium inire, teneri illam ducere. Plus enim obligatur, quam si absolute spondisset nullam se ducturū: alioqui verba illa à te, essent prorsus inutilia. Eo ergo ipso quod addidit, aliam à te quod idem est ac te excepta, sicut reseruauit sibi hanc præsentem ducendi, dato casu quod eligat matrimonium: ita etiam adstrixit se ad eam, & non ad aliam in eo casu ducendam. Ratio autem posterioris partis est, quod illa verba, sed te, sint exceptio affirmatiua, exprimens sufficienter consensum, vel in matrimonium, cum dicitur Ducam te, non aliam: vel in sponsalia, cum dicitur; Ducam te, non aliam, quia talia verba non tantum sunt negatio ducendi aliam, sed etiam affirmatio ducendi hanc.

51. SEPTIMVM documentum est, de quo idem author in eadem disput. 19. cum dicitur Nullam ducam nisi te, aut quam te, aut præter te, particulas Nisi, Quam, & Præter includere solam negationem; idemque ne sponsalia quidem constituere, iuxta priorum partem præced. documentum. Ratioq; est: quia secundum communem loquendi modum, cuius statum est quando non constat de intentione, cap. Ex literis, 1. de sponsalib. in promissionibus & contractibus particula prædicta faciunt sensum conditionalem: ita vt, Nullam ducam nisi te, aut quam te; aut præter te, idem sit atque Si aliquam ducturus sim, te ducam; perinde ac cum dicitur; Promitto me hunc equum non venditurum, nisi, aut quam, vel præterquam Principi, sensus est, Si cui venditurus sim, vendam tantum Principi. Item cum dicitur; Nullam religionem ingrediar nisi, aut quam, vel præterquam Carthusianorum, sensus est; Si religionem ingressurus sim, religionem tantum Carthusianorum ingrediar; & sic de similibus. Quod est non esse obligatum ad vendendum equum vel ingrediendam religionem si nolit, sed ad vendendum equum Principi si velit equum vendere, aut ad ingrediendam Carthusiam si velit religionem ingredi. Pro qua doctrina idem author sub finem num. 5. plures Doctores citat. Et in seq. nu. 7. admonet, eam non procedere quando ex coniecturis apparet contrahentes voluisse per eiusmodi verba matrimonium vel sponsalia inire: vt quia

tunc temporis ea de re tractabatur, vnde concititur probabili- ter, talia verba ex consensu in illam, prolata fuisse; ita vt accipi debent non quidem in sensu conditionali, sed in sensu exceptiuo: sicut cum dicitur: Nullus adfuit nisi, aut quam, aut praterquam Petrus; sensus enim est, Petrum adfuisse, ceteros vero omnes abfuisse.

C A P. VIII.

De efficiente causa Sacramenti matrimonij.

S V M M A R I V M.

- 52 *Causa efficiens principalis sacramenti matrimonij est Deus: & secundaria coniuges.*
- 53 *Modus quo conficitur matrimonij sacramentum.*
- 54 *Solutio obiectionum quibus impugnatur, quod coniuges dicuntur causa efficiens sacramenti matrimonij.*
- 55 *Ritus, quibus Ecclesia in nuptiis vtitur.*
- 56 *Quaedam notanda de nuptiarum benedictione.*

52. **Q**uod principalis causa efficiens sacramenti matrimonij sit Deus, constat tum per illud Matth. 19. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet: tum per rationem sacramentis omnium communem, quam proposuimus lib. 26. initio 5. cap. De causa vero secundaria, & ministeriali, seu de ministro: id quod Canus lib. 8. de locis Theologicis cap. 5. sensit esse Sacerdotem sacris & solemnibus verbis coniuges benedicentem, refutatur bene à Bellarm. in lib. De matrim. cap. 6. 7. & 8. & à Thoma Sanchez in lib. 2. disp. 6. Recepta vero sententia est, contrahentes esse huius sacramenti ministros, illud sibi mutuo conferentes; vir quidem mulieri dicendo: Accipio te in meam: mulier autem viro vicissim dicendo: Accipio te in meum: hæc probatur efficacissime per definitionem Concilij Florentini in instructione Armeniorum, quæ habet efficientem causam matrimonij regulariter, esse mutuum consensum, per verba de presenti expressum.

53. **V**nde sequitur matrimonij sacramentum confici prolatione verborum, quibus coniuges consensum suum mutuè exprimunt: proindeque eos esse eiusdem sacramenti ministros: cum sacramentum non aliter perficiatur à ministro, quam applicatione verborum ad elementum, tanquam formæ ad materiam iuxta antedicta in lib. 26. cap. 3. Accedit quod in noua lege Christus non mutauerit matrimonij naturam: sed tantum eleuauerit ad esse sacramenti, prout Concilium Trident. sess. 24. in initio latis indicauit, dicens à Christo approbatum esse coniugium in statu innocentie institutum: & ab eodem Christo, sacramentorum institutore, ipsi matrimonio adiunctam esse gratiam quæ naturalem coniugum amorem perficeret, & indissolubilem vnitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret. Et cum matrimonium in lege Euangelica veteribus connubis per Christum gratiam præstet, merito inter nouæ legis sacramenta censeri annumerandum. Tam vero de natura matrimonij est, vt sit contractus, adeoque aliorum contractuum naturam sequatur: quæ est vt contrahentes se suis consensibus exterius expressis ligent: neque alij quam ipsi, efficiant contractum. Accedit etiam, quod ex Concil. Trident. in ead. sess. cap. 1. matrimonium clandestinum: seu quod soli contrahentes inter se celebrant, verum ac ratum matrimonium sit, quamdiu Ecclesia illud non facit irritum: vnde satis intelligitur consensum Sacerdotis non esse de essentia matrimonij: atque adeo quod ibidem Concilium ad matrimonij præsentiam Parochi requirit; non esse, quod ex ea Christi institutione sit necessaria tanquam essentialis: sed quod Ecclesia pro potestate accepta à Christo, talem præsentiam constituat conditione, ita de cætero necessariam ad matrimonium, vt nolit ipsum absque ea amplius valere.

54. **S**ed obici potest primo, Collationem sacramenti matrimonij: cum sit actio sacra, requirere personam sacram, à qua perficiatur: quales non sunt coniuges. Respondendum est, quod sicut laicis concessum est, vt necessitate urgente, possent baptismum conferre: sic etiam eisdem concedi sacramenti matrimonij collationem: nam quia ipsum est à Christo institutum in quodam contractu, nec contractus potest

fieri nisi per contrahentium consensus: de necessitate fuit vt per coniuges contrahentes perficeretur.

55. **O**biici potest secundo, Concil. Trident. in cit. cap. 1. præcipere, vt Parochus mutuo contrahentium consensu intellecto dicat; Ego vos in matrimonio coniungo In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: quæ verba ne falsa sint coniugum consensu coniugum, seu matrimonij, Sacerdos debet esse causa efficiens. Ad quod Sanchez in sine citata disp. 6. respondet: illorum verborum, Ego vos coniungo: sensum esse, coniungo vos esse declaro, vel approbo coniugationem vestram. Ex qua doctrina sequitur, quod idem auctor ibidem num. 5. ex aliis habet: Sacerdotem cuius mortalis reum, non peccare mortaliter assistendo matrimonio: quia non conficit illud, neque benedictio quam facit; sacramentum est, sed tantum sacramentale seu cæremonia pertinens ad Ecclesiasticum ritum celebrandi matrimonium.

Cuius ritus summa hæc est, quæ tangitur in cap. Nostrates, 30. quæst. quinta; & à Gregor. à Valen. disput. 10. quæst. 1. puncto 6. sub finem, traditur his verbis, Sicut Adam & Eua à Deo benedicti fuerunt Genes. 1. ita in Ecclesia à Sacerdote, sponsi benedicuntur. Cuius benedictionis meminit Innocentius primus in Epist. ad Victricium cap. 6. Item commendatur coniugium illorum Deo precibus & oblatione Eucharistia. Cuius oblationis meminit quoque Tertul. lib. 2. ad uxorem. Præterea velo obnubuntur in signum pudoris. Cuius ritus meminit D. Ambros. epist. 79. & lib. 1. De Abraham cap. 7. Item ad significandam munditiam vitæ, & posteritatem sanguinis, copulantur vitta, candido & purpureo colore permixta. Item annulum sponsus sponsæ dat in signum & pignus mutua fidei & dilectionis ex Isid. lib. 2. De officiis Ecclesiasticis cap. 19. De coniugatis. Deinde monentur officij. De quo tenentur in genere Concil. Trid. sess. 24. can. 11. sic statuit, vt anathemati subiiciat eum, qui damnauerit benedictiones & cæremonia, quibus Ecclesia in nuptiis vtitur: vt & eum qui dixerit prohibitionem solemnitate nuptiarum certis anni temporibus, superstitionem esse tyrannicam. De quibus temporibus in eadem sess. cap. 10. De reform. matrimonij sic habetur, Ab adventu Domini nostri Iesv Christi, vsque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vsque ad octauam Palmarum inclusiue, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obseruari sancta Synodus præcipit.

56. **N**ota obiter, quod licet secundæ nuptiæ licitæ sint ex cap. Aperiant, & duob. seq. 31. quæst. 1. veteri tamè earum benedictionem in cap. Vir autem, De secund. nupt. Ita vt Sacerdos eas benedicens puniendus sit suspensione ab officio & beneficio, ex cap. 1. eod. titulo. De quare legendus est Nauar. in Enchir. cap. 22. num. 83. §. 35. Nota etiam obiter licere mulieri sine infamie metu, intra tempus luctus, seu intra annum à morte mariti secundas nuptias inire: ex cap. penult. & vltimo De secundis nuptiis. Nota denique Sacerdotem benedicentem nuptias, debere esse Parochum contrahentium: non autem alium, nisi de ius aut proprij Episcopi licentia ex Concilio Trident. sess. 24. cap. 1. De reform. matrimonij. De pœna quæ incurritur à peccante in eo, vide in sequen. lib. tract. 2. num. 67. circa medium.

C A P. V T IX.

De fine matrimonij.

S V M M A R I V M.

- 57 *Varij fines matrimonij.*
- 58 *Triplex bonum matrimonij, quo triplex eiusdem detrimentum compensatur.*
- 59 *Matrimonium quocumque sine contractum, est validum, si substantialia seruentur in eo: alias non: vt si intendatur finis excludens consensum.*
- 60 *Aut finis repugnans matrimonij indissolubilitati aut excludens obligationem reddendi debitum, aut seruandi fidem, aut educandi susceptam prolem.*
- 61 *Intentio non implendi talem obligationem, de se non reddit matrimonium inualidum.*